Fragmentarium

possunt dicere quare hoc corpus est minus est leuius. Isti autem possunt dicere ponendo uacuum. et cum dixit sermonem eorum distinctum distincte colligit ipsum et dixit. et dico uniuersaliter et cetera. i. et uniuersaliter dicunt quod causa propter quam corpus est leuius et hoc grauius est quoniam in uno corpore leuiori est plus uacui quam in grauiori siue fuerint in eo partes plures quam in grauiori aut equales eis aut pauciores. i. quia isti non comparant inter grauius et leuius nisi per solummodo uacuum. non per uacuum et partes. dispositio enim in hac tribus modis potest ymaginari. aut quod leue est illud cuius proportio uacui quod est in grauiori ad plenum est maior quam proportio uacui quod est in graui ad plenum quod est in eo. et ipse post perscrutabitur de hiis tribus diuisionibus post. et isti non dicunt nisi unam earum.

Necesse autem.

Nos autem dicamus quod dicentes hunc sermonem et distinguentes istas proprietates hac distinctione necesse est eis ut non ponant uacuum causam leuitatis tantum. sed ut ponant causam eius quod in eo sit ex corpore minus quoniam si ita non fuerit tunc leue non erit leue omnino. Si enim dixerint quod ignis est leuius quia constat ex maiori uacuo contingit sermo in eorum ut aurum multum sit leuius igne pauco quoniam uacuum in eo est maius uacuo et ideo necesse erit eis dicere quod oportet ut in igne sit ex corpore multiplex eius quod est in auro. ita quod sit leuius auro.

Cum in hac opinione ymaginetur tribus modis. quorum unus est quod leue est illud quod constat ex maiori uacuo siue constet ex partibus paucioribus aut pluribus. Secundus autem est quod leue est illud quod constat ex maiori uacuo et minori pleno. Tertius uero est leue est istud in quo proportio uacui ad plenum est maior quam in graui. et cum hoc est incepit declarare quod dicenti hunc sermonem contingit cito dicere secundum. s. dicere quod leue est istud in quo est maius uacuum et partes pauciores et graue e contrario. et dixit hoc quod iste sermo est sufficientior quam primus licet ipse destruat utrumque. et dixit. Dicamus autem nos et cetera. i. quod diffinientes leue ita quod per istud quod est de uacuo multum in eo et graue per istud quod est in eo multum de pleno et contenti sunt in diffinitione harum duarum proprietatum necesse est eis addere in diffinitione leuis et quod in eo est paruum de pleno et addere in diffinitione grauis et multitudinem de pleno. Deinde dedit causam et dixit. quoniam si ita non fuerit leue non erit omnino. i. contingit enim eis ut non inueniatur leue simpliciter aut graue simpliciter. sed graue inuenietur leue et leue graue. Deinde dixit quoniam si dixerint quod ignis est leuius et cetera. i. quoniam si diffinierint leue per istud quod in eo est magis de uacuo quam in graui et fuerint contenti hac diffinitione contingit eis ut multum aurum sit leuius paruo igne quoniam si posuimus aliquam partem ignis in qua sit aliqua quantitas uacui maior uacuo existenti in aliqua parte terre aut auri. possibile est multiplicare illam partem terre aut auri. quousque multiplicabitur uacuum quod est in ea. donec sit uacuum in ea multum. maius uacuo quod est in paruo igne. i. leuior erit quam paruus ignis et sic terra multa erit leuius quod est inopinabile. Deinde dixit quousque necesse erit dicere quod oportet et cetera. i. contingit ergo eis ut ignis non sit leuius in respectu huius auri. donec sit in eo de pleno magis quam in illo. et sunt tunc enim contingit ut in eo sit maius de uacuo. et hoc necesse est hunc ponere quoniam cum proportio uacui ad plenum sit eadem proportio in eo corporibus grauibus. et leue est istud in quo de uacuo est maius necesse est

ut eadem res

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [24]v – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70266)